



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Si aliquis ex ordinatis ab episcopo suo damnatus fuerit, vt non debeat ab aliquo defensari. clxxxv.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

iudicia: sed prius actio ventiletur apud episcopum proprium, vel certè concilio eiusdem episcopi, apud quos utraque partes voluerint iudicium continebunt. Si quis autem præter hæc fecerit, canonicis correptionibus subiacebit.

De presbyteris qui à plebibus infamabuntur, quomodo purgari debeant. Cap. CLXXXIII.

SI quis presbyter à plebe sibi commissa mala opinione infamatus fuerit, & episcopus legitimis testibus approbare non potuerit, suspendatur ab officio presbyter usque ad dignam satisfactionem, ne populus fidelium in eo scandalum patiatur. Digna enim satisfactio est, si eis à quibus reus creditur, post rectam securitatē de imposito crimine, innocens esse manifestatur. Quod ita nobis à maioribus constitutum esse docetur. Sed tunc secundum canones, siue ad arbitrium episcopi, sibi collegas VII. cōiungat, & iuret id sacro coram posito Euāgelio: quòd eum sancta Trinitas & Christus filius Dei, qui illud fecit & docuit quod Euāgelium continet, & sancti quatuor Euangelistæ qui illud scripserunt sic adiuuent, quòd ille prænominatā actionem ita non perpetrarit, sicut ei de illis oblatum est. Et in hac satisfactione purgatus, securè deinceps suum exerceat ministerium. Quam satisfactionem nonnulli præcedentium patrum sanctum Leonem papam, in basilica sancti Petri apostoli, coram reuerēdissimo cæsare Carolo, ac clero & plebe ita fecisse commemorant: atque ita mox venerandum principem, contra eiusdem sancti papæ aduersarios, dignæ ultionis vindictam exercere.

Si aliquis ex ordinatis ab episcopo suo damnatus fuerit, ut non debeat ab aliquo defensari.

Caput CLXXXV.

ET illud petendam ut statuere dignetur, ut si quis cuiuslibet honoris clericus, iudicio episcoporum, quocumque crimine fuerit damnatus, non liceat eum siue ab Ecclesiis quibus præfuit, siue à quolibet homine defensari, interposita pœna damni pecuniæ atque honoris, quo nec atatem nec sexum excusandum esse præcipiant.

De presbytero à populo accusato. Cap. CLXXXVI.

DE presbytero verò, vel quolibet sacerdote à populo accusato, si certi non fuerint testes qui crimini il-

*Ex cōcil.
Hilerdēsi
cap. 10.*

*Ex cōcil.
Africa.
cap. 29.*

*Ex epist.
Gregorii*